

*Visum est Spiritui Sancto et nobis
nihil ultra imponere vobis oneribus
quam hæc necessario.*

Léctio Actuum Apostolorum

15, 1-2. 22-29

In diébus illis:

¹ Quidam descendentes de Iudæa docébant fratres:
«Nisi circumcidámini secúndum morem Móysis,
non potéstis salvi fieri».

² Facta autem seditiône et conquisitiône non mínima
Paulo et Bárnabæ advérsus illos,
statuérunt, ut ascénderent Paulus et Bárnabas
et quidam álii ex illis
ad apóstolos et presbýteros in Ierúsalem
super hac quæstiône.

[3-21]

²² Tunc plácuít apóstolis et presbýteris cum omni ecclésia
eléctos viros ex eis mittere Antiochíam
cum Paulo et Bárnaba:

Iudam, qui cognominátur Barsábbas, et Silam,
viros primos in frátribus,

²³ scribéntes per manum eórum:

«Apóstoli et presbýteri fratres
his, qui sunt Antiochiæ et Sýriæ et Cilíciæ,
frátribus ex géntibus, salútem!

²⁴ Quóniam audívimus quia quidam ex nobis,
quibus non mandávimus,
exeúntes turbavérunt vos verbis
everténtes ánimas vestras,

²⁵ plácuít nobis colléctis in unum elígere viros
et mittere ad vos
cum caríssimis nobis Bárnaba et Paulo,

- ²⁶ homínibus, qui tradidérunt ánimas suas
pro nómine Dómini nostri Iesu Christi.
- ²⁷ Mísimus ergo Iudam et Silam,
qui et ipsi verbis réferent éadem.
- ²⁸ Visum est enim Spirítui Sancto et nobis
nihil ultra impónere vobis óneris
quam hæc necessário:
- ²⁹ abstinére ab idolóthytis et sáanguine et suffocátis
et fornicatióne;
a quibus custodiéntes vos bene agétis.
Valéte».

Verbum Dómini.